DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LVCÆ ORTHODOX. MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIII. FEBRVARII.

M. TVSSANO FOVCAVLT, Doctore Medico, Præside.

An ægrè convalescentibus aquæ Forgenses?

MORBI sanitatisque reciprocas vices Corpus Humanum experitur, nec tamen malorum in nobis & bonorum æqua decessio est, facilè ob optimo statu, & quasi sponte labimur, à vitioso ægrè & invitâ velut Naturâ resurgimus: fallitur qui depulsâ ægritudine secura credit omnia, vivit adhuc sub cineribus triplex reversuri mali fomes; relictum visceribus nutritijs empyreuma caloris nativi divinis actionibus infensum, & ex nimio errore novis incendijs occasionem præbens, reliquiarum quæ à morbo supersunt, similem labem paritura congeries, tandemque Principum partium laxitas ac veluti concidentia: quibus omnibus virium languor necessariò coniungitur, & functionum omnium imbecillitas. His procellis obiectos nullus verè sanos dixerit; rectè convalescentes; qui eò faciliùs aut difficiliùs reficiuntur, quò altior, leviorve visceribus hæret prioris affectus impressio; accedentem prospiciunt sanitatem, & à limine salutant, verùm ab illius sacrarijs ad tempus excluduntur.

SERVASSE vitam, & morbum profligasse quid proderit, nisi prorsus succisis radicibus omnem ipsius renascendi suspicionem exemeris? etiam mox sedatâ tempestate diligens requiritur Medici, vt gubernatoris, industria; ille tunc in quassi corporis resarciendis ruinis totus est, tantùm abest vt ipsi venæ sectione aut catharsi aliquid detrahat. Instaurandum est alimenti benignitate, quod prægressa Vacuatio, Inedia, & vis Morbi consumpsit. Cibus evchymus & facilis non affatim ingeratur inani ventriculo, elixus Prandio, assus Cœnæ: delectus ab edentis arbitrio pendeat. Vinum concedatur aquâ temperatum, sæpius rubrum, interdum album, numquam Hispanicum. Singulis diebus præstabit famem mediocri ambulatione obsonare quæ & pastum excipiet. Veneri in hoc morbi & sanitatis confinio litare, pestiferum, quæ solis perfectè sanis amplexanda. Indulgeant somno longiori quorum salus versatur in lubrico, atque animi tranquillitati studeant. Ijs quoque loci mutatio erit in remedijs, vbi purus ac lucidus inspiretur aër, non cœnosus aut palustris. Neque tam opportunis auxilijs eorum res in tuto collocantur: infixus visceribus ardor eâdem operâ restinguendus est, residua humorum fæx limusque crassior incidendus & expellendus per convenientes vias, addendum partibus robur, vnde σύστασις firmior, & actio promptior consequatur.

LARGA est, ne dicam, prodiga rerum Naturæ in Remediorum procreatione fœcunditas, cùm plantas in terræ superficie vbique parturit; at nullibi magis quàm quibusdam in locis admiranda, vbi Medicatas fundit Aquas, in ijsque Medicinam facilè parabilem ægris & convalescentibus propinat: Istæ diu per mineralium & metallorum venas devolutæ, perque longum telluris spatium transcolatæ, efficaci ditantur spiritu, tandemque sursum, quâ data porta, sudoris instar foras erumpunt: hinc varia à locis scaturiginum accepêre nomina, San-Reginensium, Borbonensium, Spadensium, Forgensium, vel mercurialium, sulphurearum, vitriolatarum, & ferratarum, à Mercurij, Sulphuris, Vitrioli, Ferrique præ cæteris mineralibus dominatu, quæ vt alijs alias vires, sic ijsdem vegetiores aut segniores pro intensiori aut remissiori qualitatis impressæ gradu largiuntur. Hâc mixturâ omnibus consuluit Natura, & debilibus morbis imbecillas aquas, valentes valentibus & contumacibus aptavit. Mercuriales humoris luem Veneream committentis feritatem demulcent, malignorum vlcerum & cutaneorum affectuum medelam pollicentur: Sulphureæ crassos, frigidos, & viscidos humores attenuant & coquunt; Vitriolatæ citò per vniversas corporis partes permeant, obstructiones solvunt, obstructionumque materiam sæpe foras educunt; Ferro imbutæ partibus imbecillioribus adstrictionem & soliditatem impertiunt.


IN aquis Forgensibus nec advrentem Sulphuris qualitatem, nec erodentem Nitri acrimoniam inconsultus quispiam formidaverit, has solâ subtiliori & magis penetrabili vitrioli portione, solis roborantibus ferri particulis gravidatas, pelluciditas, austeritati iuncta aciditas, & experimenta demonstrant. Nonne vides Rosarum in aqua maceratarum vim adstrictoriam instillatis acidis, vnà cum permeabili tenuitate aquæ conciliari? peritior quovis artifice Natura idem in Forgensis soli mineris præstat, vbi caloris terræ insiti beneficio è Chalcantho spiritus elicitur, qui aquis ferratâ rubigine infectis admixtus, has & suis & extractis Ferri virtutibus beat, quibus (vt vltimâ Medicinæ anchorâ) in omnibus affectibus vti nullâ lege, nullo discrimine, ignorantis est, & temerarij; easdem innumeris sanationibus illustres damnare, iniusti, & sibi nimiùm arrogantis. In illis triplex ex aquæ Chalcanthi & Ferri concursione facultas emicat, à quibus, partibus adfertur refrigerium, puritas ac firmitas comparatur: Nec solùm Renum, Hepatis, ac Lienis calidam intemperiem emendant, sed & rupti in Mesenterio abscessus purulentam materiam auferendo, ægrum ab vlceris metu vindicant: Sterilitati, Vteri Fluoribus, & Alvi contumacibus profluvijs medentur.

HAVD perpetua est aquæ Forgensis assumendæ tempestivitas. Hyeme minùs commodus illius vsus, mensibus Iulio & Augusto maximè salutaris: Quibuslibet autem non licet sine Medici imperio ad hunc Fontem accedere, vt nec adventitios eius liquores in vrbe haurire. Cui multâ atque impurâ colluvione scatent viscera: cui putri muco obducuntur Ventriculus & Intestina, cui venæ ab his ad Hepar pertinentes crassiori obsidentur infarctu, is non impune bibit: nisi multiplici purgatione præviâ, aquis alioqui per se tenuissimis, & sponte sibi viam facientibus in abdita Viscerum aditus pateat, non præterfluunt, gravissimoque Præcordiis sunt oneri: quod convalescentibus rite iam apparato corpore non accidit. Hos pro virium & superstitis affectionis magnitudine iuvat copioso potu prolui, non semel ac repente, sed gradatim ac per vices aucto per quindecim dierum spatium, & imminuto quincuncium numero, vt parem vltimis ac primis haustibus aquæ quantitatem sorbillent. Hoc modo conceptum ardorem prorsus deponunt viscera continuo aquæ pertransitu, & quidquid sordium in Alvo ac prima regione relictum est, eluitur: crassior Bilis quæ sæpius medicamentorum purgantium vires eluserat, vnà cum serosa illuvie per vrinas abducitur, atque id roboris suscipiunt viscera vi Ferri adstrictoriâ ijs sese insinuante, vt renovari homines, & in plures annos χαλκεντέρους reddi contingat.

Ergo ægrè convalescentibus aquæ Forgenses.

Proponebat Lutetiæ ARMANDVS-IOANNES DE MAVVILLAIN, Parisinus, A. R. S. H. M. DC. XLVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Eusebius Renaudot. *M. Isaac Renaudot.* *M. Tussanus Foucault, Præses.*		*M. Antonius Morand.* *M. Nicolaus Blanchet.* *M. Ludouicus le Noir.*		*M. Franciscus Pijart.* *M. Ioannes de Bourges.* *M. Franciscus Boujonnier.*